



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 86. Regina in Britanniam secedere intenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. LXXXVI.

*Regina in Britanniam secedere
intenta.*Sæcul. XVI.
A.C. 1505.

Ipsa etiam Regina summopere verebatur, ne obeunte ejus Marito, aut Engolismæ Comitis proximi Franciæ Hæredis dominatui subjiceretur, aut fors ab eo ad extremos Britanniae fines relegeretur: quapropter opportuna fuga sibi consulere statuit. Jam totam suppellectilem suam, mundumque muliebrem, quem habebat pretiosissimum, navibus imponi, ac per Ligerim transferri jubebat: quinimo referunt nonnulli, quod ipsam quoque Filiam suam jamjam præmisisset, verita, ne Engolismæ Comiti nuptura retineretur. Verum intercepta est suppellex a Gienfi Marescallo, quam rem Regina tam iniquo tulit animo, ut injuriæ nunquam oblita, Regi pristinae valetudini restituto auctor esset, ut Marescallum capite plecti juberet. Annuit Rex, totamque causam Tolosano Senatui, utpote judicii severitate longe nominatissimo commisit. Attamen haud adeo cæco complacendi studio abripiebantur Senatores, ut Virum innocentia sua tutum capite damnarent. Nihilominus tamen Gienfis pensionibus suis privatus, & imperio, ac Marescalli Franciæ

*D'Argentre
hist. Britan.
lib. 22.**Brantom.
mem. vie du
Marechal de
Gie.*

Sæcul. XVI
A.C. 1505. cia officio exutus, aula exulare jubebatur, unde in quamdam suam, quæ Vergerum vocabatur, ditionem in Andegavia sitam sese recepit.

§. LXXXVII.

Diffidia in Castella post Isabellæ obitum.

Marian. lib.
28. n. 62.

Rex recuperata salute, denuo publicis negotiis vacare cæperat, ac de fide, optatoque successu fæderis cum Papa, Cæsare & Archiduce desperans, faciles aures præbuit Ferdinando Hispaniarum Regi, qui primus cum eo armorum societatem inire pollicitus est: Regina enim Isabella fatis functa, variis dissidiis Castella scindebatur, Procerum compluribus, ut Ferdinandus Castellæ Regis insignibus ornaretur, exoptantibus; id enim testamenti tabulis cautum esse, ac proin Regni administrationem eidem asserendam dicebant, eoquod illius incapax esset Joanna Regina ejus Filia, utpote mentis inops facta. Ex adverso contendebant non pauci, Ferdinandum non modo a regiminis cura arcendum, sed etiam, si forte Joanna regno administrando impar esset, subrogandum esse Archiducem ejus Maritum, jamjam Castellæ Regem salutatum: horum sententiam Manuel fortiter tuebatur.

§. LXXXVIII.